

**Oratio
gratulatoria
recitata coràm
illustrissimo
comite Petro
Brahe, in fre...**

Ulstadius, Andreas Andreae,

1 Ic Fol. 1648 Brahe



National Library
of Sweden

COMITI
ORATIO
GRATULATORIA

Recitata coràm Illustrissimo Comite PETRO BRAHE, In frequentissimo Clarissimorum virorum confessu cùm eundem Illustriss. Heroem, secundum apud nos summum Governatorem feliciter reducem solenniter exciperemus.

In ACADEMIÆ CHRISTINÆ Auditorio Majori,
die 29. Junij, quiesc. Divo PETRO Sacer, Anno
salutiferi partus 1648.

Ab
ANDREA A. ULSTADIO
BOTHNIENSE.



A B O E

Excudebat Petrus Wald / Acad Typogr. Anno 1648.

Illustriss. Comiti
Andreas A. Ulstadius
Bothniensis.



Hæc
Concio. mihi Samueli
Dono data ab And. B
1648 1652.

ÆTERNITATI
ILLUSTRISSIMI HEROIS,
PETRI BRAHÆ
COMITIS IN Wisingsborg/LIB. BARONIS IN
Ridboholm & Lindholmen/ &c.

S.R.M. Regnorumq; Sveciæ & Gothiæ Senatoris & Drotzeti, Su-
premi Regij Judicij SveoGothici Præsidis, Legiferi VVesman-
niæ, Montanorum & Dalensium. Academiæ CHRISTINÆ
Aboensis Cancellarij, Magni Ducatus Fennoniæ, Alandiæ &
Bothniæ summi Gubernatoris. Literarum Salutisq;
publicæ Vindicis, Assertoris.

Altera Fennonicis incedit debita terris
Lux, nutu propiore Dei, rursusq; micanter
Fausc BRAHÆE bono succedunt omine fasces.
Cernis ut augustum venerentur singula vultum.
Pendet ut immenso censoris ab ore rogantum.
Turba? tuumq; animo gestit mirata favorem.
Quid mirum dictis reduci si applausibus Echo
Miscer? & streperas inter gratantia voces
Verba canam? Cum dive parens & grate Patrone
Obvius in totâ fulgeres urbe, repente
Tum sylvæ, tunc antra loqui, tum vivere fontes,
Tum facer horror aquis, & mox delubramoveri
Conscia lætitiæ, & tanto permota favore.
Non alius nostris fato successibus Heros
Clarius illuxit. Sub te fastigia juris
Summa tenet, latè & populis oracula pandit
Fennia. Rumpe moras, caput exsere Patria, lætis
Progredere auspicijs, fecundaq; floreat ætas.
Ingenijs patuit campus, certusq; merenti
Stat favor. applausum sibi virtus sola reservat.
Nil licet ambitui, atq; occultis non vacat Heros
Artibus, ingenijs meritos sed pandit honores.
Miror inexcultis, cum das suffragia Musis
Arbiter, & tanto mea capta à teste probari
Gratulor. Hoc uno securus judice de go.
Ibit in æternas, dum spiritus hos reget artus
Vis mea tota tuas laudes. Tibi fama superstes
Erigat ingentes status. Tu nixus in ævum.
Procedas pariter libris fastisq; legendus.

D. D. D.
Humilimus Client
Andreas A. Ulstadius
Bothniensis.

I N T I M A T I O
Ad Votivas Acclamationes

Illustris: & Excelso Heroi

DN. PETRO BRAHÆ

Comiti in Wisingborg / Libero Baroni in Rydboholm
& Lindholmen

S. R. M. Regnorumq; Suecia & Gothia Drotzeto, & Sena-
tori Supremo: Regij Parlamenti Holmensis Præsidi; Academia
Aboënsis Cancellario, Westmannia, Montanorum atq;
Dalensium judici provinciali:

Cum
Magni Ducatus FENNINGICI Generalis insuper Gubernator
futurus ABOAM feliciter appulerat.

In Regiâ Fennorum Aboënsi Academiâ 3. Cal: Jul. quæ divo PETRO
Sacra, horâ 1. pomeridianâ habendas:

M. ANDREA A. ULSTADIO;

Phil. Poëtâ & Rhetore haud vulgari,

Civibus Academicis, Nobilissimis ac Præstantissimis S. P.

Psallite Aboënses, nova carmina Psallite Musa;
Brachiaq; expandat Fennica turba simul.
Exultent Urbes! Ad Cælum juba tollant
Rura! Parens Patria nunc Comes ipse adest.
Ter felix adsit Fennorum gaudia PETRUS
Aloquio suavis, delictumq; hominum!
Res celebranda modis multis. VIVATq; precemur!
Hæcce tulit cunctis gaudia magna dies.
Ulstadi Andrea, facis hinc te digna Magister,
Æ quo animo volvens rem, celebrans hodiè.
Scilicet adventum primâ & grataberis horâ
Usq; BRAHÆO. Adsis, Tu ò Studiose cobors,

Anacreon.

Adeste vos Camæna,	Fennigicæq; Sydas
Celebrate vos BRAHÆUM,	Patria decus per amplum.
Prece miniq; fausta;	Populum favens Gubernat!
VIVE, VIGE, BRAHÆE!	Vive, vige PATRONE,
Drotzete Magne Regni;	Vive, valens perennat!

V. C.

MICHAEL VVEXIONIUS
Jur: & Pol. Profess. P.



ILLUSTRISSE COMES.

Admodum Reverende Dn. Episcopo. Magnifice Dn. Rector.
Reverendi, Consultissimi & Præclarissimi Dn. Professores.
Regij Judicij Assesores Amplissimi. Secretarij solertissimi,
Consules Prudentissimi. Magistri Clarissimi. Tuq; Nobilissi-
ma, Selectissima, Gloriæ virtutumq; capax Juventus Aca-
demica.

*Q*uod ardentibus votis, ingenti expectatione, communiq; desiderio
à Deo Opt. Max. sapius precabamur, propitio & benigno Numine
consecuti sumus. Quæ res spes nostras paulò antè suspensas & solli-
citas tenuit, ea nunc effusiori cum latitiâ animos nostros reficit & re-
creat. Advexit huc, advexit, inquam, ad littora Fennica, ad urbem, ad
ipsum Musarum delubrum, benigna Numinis Providentia Fennia no-
stra Ducem & Patronum Academia statorem & vindicem Illustriss.
Comitem Petrum Brahe, &c. Cujus adventus nobis singulis tantum
latitia attulit, quantum antè abitus maroris & luctus. Nisi quod pra-
teritorum annorum tristitiam præsens gaudium abolet. Igitur si au-
spicatum Fennis tempus, Academia, reiçq; literaria salutare unquam
signavimus, hoc quo jam fruimur, singulorum voto, vestroq; Audit. ta-
cito suffragio, inter illud notari meretur; quo & salutem, splendorem &
existimationem nostram quasi postliminio revocatam & assertam agno-
scimus. Ita si præteriremus, quis nos non ingratos pronunciareret? quis
non indignos si sileremus? Ego, nescio quo afflatu, ad dicendum raptus,
nec judicij aliorum, nec propria verecundiâ contineri potui, quin tenui-
tatem meam oblitus, latitiam coram auctore effunderem. Eoq; die qui
huic acclamationi exprimende accommodus videtur. Quam enim
christianus orbis, & Majores nostri memoria Divi Petri consecra-
runt

MICHAEL VEBER
Jan. 4. 1688.

vultu lucem, eâ ipsâ mihi publica n. gratantium letitiam declarare conti-
git. Quam tamen ego dignè verbis asequi & oratione complecti non
possum. Ideoq; æquius fuit illam, integrâ illibatâq; cogitationibus
vestris, Audit, reservari, quam frigide perstringi. Recordamini enim
gestientes in animo vestro motus, cum hac grata nuncia ad nos perfer-
ret Mercurius. Dj boni! quis tum non latitâ exarsit! Quis non
frequentia pro incolunitate Tuâ, Patrone, vota effudit? quæ non accla-
mationes ubiq; audita? Vivat & vigeat Gubernator nosler. Illum
non horridi Aquilones remorentur; non fluctus marini officiant, sed
lenes & blandi ad has oras excipiant Zephyri, addatq; propitium nu-
men corpori valetudinem & huic perennitatem. Quæ voces, Pa-
trone, meritorum Tuorum, non cuiusq; ingenij sunt, quas nulla adulatio
invenit, nullus metus expressit. Quem enim ita metuimus, ut hac finge-
remus, quem ita impense amamus, ut ficta fateremur. Multa quidem,
largior, extorquet metus, sed quæ à retreclantibus prolata appareant.
Et, quæ so, quæ facundiâ, quo dicendi artificio virtuti Patroni, omnes lau-
des supergressæ, decus ad lere conaret. Imò qui æquiori arbitrio rem æ-
stimant, comperient me parçè admodum laudes perstrinxisse, ne dum
immodicas attribuisse. Itaq; cum laudibus Patroni nihil amplius ac-
cidere potest, nedum ad fastigium a'censa virtus sermone succrescere;
dabitis veniam, Audi ores, audaci capto, Tuq; ad quem potissimum
dirigitur Oratio mea, Patrone, ignosce tanto facinori, qui inter facun-
dissimum gratantium catum Tyro in scenam prodeo, & tenuitatem
meam certo indicio prodo. Sed animadverto Te, Patrone, ut Deos,
non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & candore de-
lectari. Itaq; grati obsequentisq; animi interpretem offero Oratio-
nem, quæ si Tibi probabitur, jam supra spem aliquod consecutus videor;
si improbatur, nec dum voto me frustratum imaginor, qui cupiditatè

Sordio Metaph:
N.

mea, quae latere non potuit, hoc ipso satisfactum intelligo. Vos autem, Auditores omnium ordinum lectissimi, sermonem meum vestra patientiâ & iuauitate levate, & si quae minus Romanas delicias aut ornatum Atticum sapiunt, prudentiâ & candoris vestri velamento obducite.

Dum magnitudinem argumenti quod suscepi, & copiam meritorum, quae me ad dicendum rapere videntur, circumlustrō. Unde ordiar & ubi desinam ambiguus agor. Tanta enim totq̄ tum religiosè, tum justè prudenter, sapienter & fortiter gesta sunt, ut aciem intentionis & ingenij mei abrumpant. Quippè, quod aliàs insolitum, ex ipsâ rerum copiâ & ubertate difficultatem patior. Quocunq̄ igitur oculos animumq̄ circumduco, multa mihi laudum materies obambulat. Sed quoniam non sufficio meritis tuis ex asse efferendis; decerpam ex numerosa gloriae tuae cumulo ea quae nos propius tangunt, quibusq̄ nos Tibi peculiari quodam jure astringis. Et quid religiosius, quàm latitiam, à quo quis percepit, coram eodem auctore effundere? Quid aquius, quàm benefacta, quae referre non sustines, admiratione & aeternâ memoriâ comprehendere? Illud ego dum assecutus videor, perorabo. Coelesti & divino quodam munere Fennica genti destinatus & genitus videris Patrone. Scilicet ut nos Tuis sub auspicijs, Tuâ sub Dictaturâ securi, intrepidi, felices, tanquam in gremio Fortunæ spiritum ducerem? Fuerat patria nostra Fennonia per multa retrò annorum spatia, inter Sveciæ aliarumq̄ orbis plagarum loca haud obscura; Sed quantum ornamentis, existimationis & celebritatis meritis tuis eidem addideris, non hoc mearum est virium exprimere. Quem animum Saluti publicæ, Ecclesiæ, Academiae Sapientiae & Musarum perpetuae sedi, praestiteras, expedit recognosci. Praclari enim facti decus crebrâ memoriâ in seipso reviviscit. Mirentur igitur alij in Te exhaustas & impensas ju-

Inoma.
N.

justitiæ curas, sinuosos in Curia casus decisos, fortiter in armis gesta 7: *huc, illucq; ste-*
et illos.
prudenter in togâ consulta, & admiranda in Legationibus expedita.
Nobis, Auditores, alia dicenda, & certè his equalia, si non majora, eorū
justiore causâ, quia illorum minimam partem hoc tempore sperabamus.
Cui enim in mentem venire potuit, Te Patrone, ita nostræ invigilare
saluti, ut dum Tuæ vix vacare possis, de singulorum anxie sollicitus sis?
Redocate in mentem Audit. cum reducem orantes exciperetis, quibus
applausibus, quâ adclamatione, quibus votis occursum iistis. Testis
est ipsa, quæ in omnium ore, lætitia. Et hoc quidem justè; nam quando
unquam gratulandi, potior nobis occasio se exhibuit? Non satis fuit Na-
tionem nostram sollicitè tueri, provincijs optimè præesse & nusquam
non utilitati ejus incumbere, quin hunc perpetuis Tuis laudibus addis
cumulum & virtutibus incrementum, ut post excitatum ad illud fasti-
gium, in quo jam conspicuum est, hoc literarum artiumq; Palladium
post declaratum multis argumentis primò nascenti, deinde altius sese
erigenti Academiæ favorem insuper ejusdem directionem & Patroci-
nium illustri documento expressisti, & Cancellarius salutare voluisti.
Illud quàm sublime, quàm rei literariæ salutare sit, tum demum plene ad-
verteremus, si, quod numen avertat, tanto Patrono per ingratitude[m]
careremus. Quis non persentiscit ignem quendam pectoribus excitatū,
posteaquam huc propitio Deo transfretare nunciareris? deinde ejusdem
quandò ingentiori pabulo nutritum aspectu Tuo agnoscimus? Erigit
sanè animos ad æmulandum in acie, præsentia Ducis, fortitudo, aspe-
ctus. Et exemplo facilius, quàm imperio milites animantur. No-
runt enim suæ industriæ maximum præmium, judicium Ducis, suffragi-
um Ducis. Hoc item sinceris quamlibet rebusq; ingenijs evenit, etsi
virtuti satis amplum præmium sciant ejus possessionem. Exuunt

tamen paulatim & remittunt nonnihil de alacritate & fervore, qui pro-
pitius patronis & Tutelaribus Dijs faventibus sufflaminandus fuit.
At nunc Te Revere cuiusque quasita virtute dignitas offertur, ubi non e-
blanditis precibus aut degeneri ambitu honoris & gloriae campus, sed ju-
sta morum, ingenij, industriae, factorumque aestimatione patet. Sicubi
effrenis quorundam licentia proborum mores infecit, corruptit, detinuit,
et profecto Te Censore quasi tacito quodam rubore suffusi resipiscunt.
Animadvertunt Te ut publica, ita singulorum saluti vacare. Vix iti-
nere marique fatigatum reficere contigit corpus, cum velocissimi Sy-
instar omnia invadere, percontari, & undique invocatum statim velut
Numen adesse, assistere vidimus. Vidimus in vultu non rigidi cu-
jusquam aut severi Imperatoris sed tanquam Mecænatis gratiosi non
occulta indicia. Mira in tanto fastigio in literas propensitas, quas
non modo amas, sed etiam his exercitijs inter publicas curas, inter subli-
mes & arduos conatus interesse, delectari; Tum animo versare, tum
voce ipsam Svadam exprimere non dedignaris. Quantum inde
Tuis virtutibus quantumvis omnes laudes supergressis accedat, publica
gratantium voces, preces, vota declarabunt. Quae ego dum
confector & memoriâ consequi conor, ipsa rerum & gestorum magnitu-
dine obruor. Manet manebitque honor & Celsitudini Tuae venera-
tio, quam ego verbis non assequor, sed animo illibatam reservo. Si pra-
sentibus praeterita conferre, & caelo aequatas gestorum laudes huic faci-
nori comparare juvat, probabo solummodo Te, Patrone, Praclaris in
Academiam meritis tantum inclarescere, quantum fortissimos quosque
Reges & Duces de tot triumphatis gentibus, subactis provincijs & fre-
quentibus suspensis laureis. Fateor Imperatores & Duces delectis
hostibus, ingentibus & penè divinis honoribus maclatos. Ita Manli^{us}
su.

superato apud Anienam hostili exercitu inter spolia singulari certami-
ne aureum torquem detraxit Barbaro, inde Torquatus in honorem
appellatus. Haud aliter P. Corn. Scipio, fatale nomen Graeciae, victo
Annibale & deleti Carthagine, ab eadem urbe cognomen accepit, Ju-
stinianus Imperator ducibus Narsete & Bellisario usus, plurimarum
gentium & regionum devictarum nomine se honorari voluit. Cæsar
Augustus bella feliciter confecit, Martem pace sopivit & geminum
Janum bis ante se clausum oclusit. Ob hæc præclare gesta Dictator M
perpetuus & pater patriæ nuncupatus. Ego præclaris Ducibus M
immortale nomen & certantes gloria titulos non invideo; nil eorum
laudibus subtrahō. Sint felices, invicti, triumphatores, semper Augu-
sti: Literarum sanè amor, patrocinium & tutela tam longè lateq; se por-
rigit atq; Oriens & Occidens armis subactus. Imò liberè dico; Sa-
pientiæ studium & benignitatem in ejus cultores collatam, ipsâ victoriâ
esse donum felicis. Quia multum occupasse, habere invidiam po-
test, Tantum Musis tribuisse, gloriâ carere non potest. Et nisi sapien- M
tia belli paci q; negotia tractentur, præcipiti lapsu euntes labuntur ad
interitum, & priusquam ad maturitatem perveniunt, sensim corruunt.
Et quemadmodum res Romanæ disciplinâ militari in immensam am-
plitudinem excreverunt; Itâ probitate artiumq; culturâ sunt retentæ.
Quamprimùm populus Romanus luxurians, disciplinis & artibus se
se subtraxit, certissimum labantis imperij indicium fuit. Quid n.
prodest foris esse strenuum, si domi malè vivitur? Et quæso quomodo be- M
nè & beatè vivatur, si disciplina & sapientia fontes negligantur? Di-
vipiantur licet urbes, occupentur castra, regnis inciantur manus, nisi
foro officiam suum, aris veneratio Musisq; cultura constiterit, parta-
rum rerum astris æquatarum fastigium sedem stabilem & fixam non ha-
be-

bebit. Artium autem industriam culturam etiam militiae stipendia roborantur, forensis gloria accenditur, fido sine cuncta studia recepta nutriuntur. Quicquid animo, quicquid manu, quicquid lingua admirabile est, ad cumulum laudis perducitur. Itaque cum nihil possit fingi, quod ob sit encomio literarum, quis non Te, Patrone, perpetuis complectatur laudibus, cum litera in hac urbe, Musarum & Sapientiae sede, sine Te vix respirant, vigere autem sine Te non possunt, Neque sine causa; Cum enim hac Academia primum Te Authore nasci cepit, Te & non alio Vindice & Cancellario, succrescere coepit. Ut enim liberi naturalibus, quam adoptivis patribus quamlibet optimis, vi quaedam innata adherere malunt, Alia non ob causam, quam quod ab iis intensius plerumque amamur, a quibus ortum ducimus; ita cum hac Academia Tuis, post Clementiss. R. M.^{tem} auspicijs ortum, incrementa & maturitatem assecuta est, tibi quoque messem studiorum litat. Alio me vocat numerosa gloria Tua, quod quidem inter illustres animi Tui dotes, inter merita, quibus immortalitati consecraris, non minimum est. Benignitas, inquam, & singularis quidam amor in eos, qui has Fennicas oras incolunt. Videris profecto tanquam natura propensitate huic genti natus & quasi de caelo delapsus, Rem Fennonicam restiturus. Quis cogitaret ante sesquiannum nobis tantum contingere beneficium, Patriaeque quodammodo attrita tam insperatum decus & emolumentum, ut vicissim nobis Gubernator praesses? At propitio ita Deo contigit. Quis cogitaret te posse hoc tempore, quo infinitis Regnum Svecicum oneratur negotijs, Patriam Academiam invisere? Eius ordinis cultores familiariter alloqui? & ut verbo dicam, Saluti Academicæ invigilare? Quanto ergo magis merita tua captum, vota & spes nostras sui magnitudine eluserant, Tanto magis nos in admirationem, deinde ad gratitudinem ducunt. Illam scilicet, quae tantis beneficijs licet impar sit, quia tibi ab animo grato prodit, displicere non potest. Scilicet

ut perpetuò meminerimus nos Tuos clientes esse, Ea sentiamus & cen-
seamus, quæ tanto Patrocinio digna sunt. Quod ego titulis omnibus
speciosius reor, quando non trabibus aut saxi nomen Tuum; Sed no-
nimentis æternæ laudis inciditur. Ibit in secula fuisse nobis Patronum,
non genere modo & virtutibus facile Principem, sed ob merita in Pa-
triam toti orbi stupendum. Hæc vera illustrium animorum docu-
menta. Arcus n. & statuas demolitur & obscurat oblivio, negligit
carpitq; posteritas. Res autem præclare gestæ ipsa vetustate florescunt. *M*
& dum ad senium vergere videntur, adolescunt. Adolecet profectò
apud nos memoria factorum Tuorum, dum literis honos, dum Acade-
miæ huic vigor & vita. Quod n. illa à parvis initijs ad tale culmen
excrevit, Tuum est Patronus. Quod tempestivos fertilis ingenij fru-
ctus parturiat, Tuum est. Quod ingentes literis partiris honores, hono-
ratas tum præmijs, tum beneficijs ornas, Tuæ est propensitas. Quod
progressibus sobolis Fennonicæ intrum in modum delectaris, Tuus est
amor Patronus. Ne mirare igitur si quisq; Tibi tantum quantum Pa-
rentibus se debere profiteatur. Itaq; patere, Patriæ Pater & Patronus,
si exceptas à patriotis acclamationes, collecta omnium vota, in sinum
tuum religiose effundam. *Salve Illustrissime Patronus, patriæ*
nostræ, & quæ in illi floret, Academiæ Præses! Salve iterum cælo *m m*
jam dudù debita anima, nisi nostrâ interesset te diutissimè terris & mor-
talium usibus servari. Tum enim res nostræ duraturæ sunt, si huic cœ-
lestium deposito fata perpetuitatem cōcesserint, inclinaturæ, si subtraxe-
rint. Progredere secūdo omine Patronus, & venturo demum seculo sit
notus ille dies, qui te publico bono eximat! Det tibi propitium numen
immortalitatem, servetq; animum, quem non solum tibi servas, sed eun-
dem quoq; nobiscum partiris, ut etiam posteritas non ignoret Te Patria-
natum, eidem etiam vivere, & ejusdem cum jacturâ, mortalium conser-
vio abripi. Fausi ergo & nostris añalibus inserendi illi soles, quibus
nos tanto sub Rectore vivere contigit. Exserite proinde Patriotæ,

*exserite inquam, industriæ Academiæ alumni, vigorem ingenij, & de-
clarate vos tanto sub præside non ignavam traducere vitam aut nomen
gerere inficiandum seculo. Præstemus inquam, ne simus degeneres
mundi incolæ, quin potius, plenis ad immortalitatem quæ literis acquiritur,
passibus grassari nitamur. Quid enim suavius, quam sub eo Duce mi-
litare, qui non modo imperio coercet, sed exemplo animat, instat, excitat?
Quid æquius, quàm ei parere, qui literas non modo dignè æstimare novit,
sed etiam sudatas curas meritis honoribus compensare sustinet? Nihil
certè utilitati nostræ congruentius, quam efficere ne, expectationem Pa-
troni, quam de nobis concepit, per ignaviam fallamus. Nihil deniq;
gloriosius quam ut dextram de nostris studijs opinionem indices industriæ
augeamus. Quod ut nobis ingenti decori & emolumento est, Ita gra-
tiosissimo Patrono præceptoribusq; non potest non esse gratissimum.*
*Sed ne æquanimitate Vestrà abuti videar Audit. jam perorabo. Igitur
Orationem ad te converto Immense Deus, Imperij nostrij stator
vindexq;. Effice Clementissime pater, ut Majestas Regni Sveci-
ci, quemadmodum hætenus, tuâ ope secuta periculorum in medio inimi-
corum floreat. Ut celeste illud depositum Clementiss. R. M. CHRIS-
TINÆ Augustæ validissimis Angelorum tuorum præsidijs ma-
nias, addas aënis valetudinem, sceptris successum, Ecclesiæ rei q; publi-
cæ securitatem. Protege quæso omnipotens Deus Nationis & Pa-
triæ nostræ Summum moderatorem & Academiæ Cancellarium, ut
moderante eo, Ecclesia, Academia & forum ingens augmentum ca-
pere possit, & hoc laudibus Patroni accidere. Eius scilicet
PRUDENTIA ET DEXTERITATE EFFECTUM, UT RES PÆ-
NONICÆ PERPETUO FLOREANT, VIGENT, AUGEANTUR.*

D I X I.

(o)(o)

6